

**I. [WYJĄTEK Z KRONIKI WAPOWSKIEGO]**

Alexander [...] extremis mensis Octobris diebus in Lublin venit, conventuque ibi procerum regni habito, primum omnium super regni defensione, quod tam fede ac impune per Tartaros ac Valachos vastabatur, consultare cepit. Placuit Senatui mercenarium militem pro estate ventura conduci et pecuniam ex oppidis et agrestibus in stipendum militibus corrogari, decretum etiam publico consilio, ut provincia Pokuce cum Colomia, Stephani palatini inde electo praesidio, ad regnum retraheretur, Moldaviaque excursionibus infaestaretur. Insuper omnium copiarum duci mandandum, attende provideret: ne respublica Polona a Tartaris, anniversariis ferme hostibus, aliquid capiat detrimenti; hic etiam constitutum, ut Alexander Rex exercitu in terras Podolie expedito, ipse ad prima veris signa oram maris, Prussiamque inviseret. In eo conventu Joannes Łaski regius secretarius regni cancellarius est pronunciatus [...]

**II. [DECRETUM LITTERARUM VENERABILIS JOANNIS DE LASSKO  
SUPER CANCELLARIATUM REGNI]**

Decretum litterarum venerabilis Joannis de Lassko super cancellariatum Regni sibi datarum, robur debitae firmitatis obtinendarum.

Alexander Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Russiae Prussiaeque dominus et haeres etc.

Significamus tenore praesentibus quibus expedit universis, quia nobis proxime superiori tempore cancellariatus Regni officium venerabili Joanni de Lassko concedentibus, licet ei litteras speciales nostras, sigillo secreto quod nos ipsi gestamus sigillatas, super illud officium dederimus et eas in praesentiarum semper quia ratas habere velimus, tandem petente eo ipso Joanne cancellario litteras praedictas de sigillo minori in praesentes, maiori videlicet vicecancellariatus Regni sigillo sigillatas, transtulimus, quarum sequitur tenor:

Alexander Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque dominus et haeres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quia nos attentis virtutibus, benemeritis et probitate venerabilis Joannis de Lassko cancellarii Gnesnensis ecclesiae, supremi secretarii nostri, devote nobis dilecti, sibi de speciali gratia et certa deliberatione nostra de consilioque consiliariorum nostrorum, tam in hac conventione nobiscum existentium, quam aliorum absentium nobis per litteras eum ipsum Joannem de Laszko commendantium, cancellariatum cancellariamque Regni nostri, post mortem reverendi olim in Christo patris domini Creslai episcopi Wladislaviensis eiusdem cancellariae ultimi possessoris vacantem, dandum et conferendum ac eundem Joannem ad dictam cancellariam instituendum duximus, damusque, conferimus et instituimus tenore praesentium mediante, per ipsum Joannem usque ad ultima eius vitae tempora, una cum censibus et emolumentis de zuppis et teloneo Cracoviensi ad eundem cancellariatum pertinentibus, tenendum, habendum, possidendum et utifruendum pacifice. Quocirca universis quibus expedit subditis nostris cuiuslibet status et conditionis existentibus ac zuppariis et teloneatoribus Cracoviensibus pro tempore existentibus mandamus, quatinus ipsum Joannem pro vero Regni nostri cancellario usque ad extremum suae vitae habeant, sibique de loco et voce in consilio et ubique, eum ratione cancellariae eiusdem Regni concernentem, vos vero zupparii et teloneatores de censibus, tam zuppis quam de teloneo ad eum pertinentibus, respondeatis, quietantias eius proprias post singulas solutiones ab ipso recepturi, per nos successoresque nostros vobis in ratione computandum. Quae omnia praemissa harum serie decernimus esse firma per nos et successores nostros observanda sub testimonio praesentium, litterarum, quas nos sigillo anulari nostro quod ipsi gestamus sigillamus et communimus, subscribentes eas manu propria nostra. Datum in conventione Lublinensi generali, feria secunda post festum Sanctae Katharinae anno Domini millesimo quingentesimo tertio, regni nostri anno secundo [27 XI 1503].

Itaque decernimus tam praeinsertas, quam praesentes transsumptas, robur obtinere firmitatis indubitatae usque ad ultima dicti Joannis vitae tempora, harum quibus sigillum nostrum est subappensum testimonio litterarum. Datum Cracoviae, feria tertia proxima post festum Sancti Martini anno Domini millesimo quingentesimo quarto [12 XI 1504], regni nostri tertio. Relatio reverendi in Christo patris domini Mathiae, episcopi Premisliensis et regni Poloniae vicecancellarii.